



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 318. Quâ pœnâ afficiendis incendiarius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](#)

minium manet penes dominum. Item, si sint res, quæ statim de sui natura periissent, nisi quis ad eas recuperandas exposuisset se periculo vitae. Mol. cit. d. 694. n. 6. & 7. Zerol. in pr. Episc. p. 2. v. naufragium. Quaranta in Summa bullar. v. bona naufragantium. fol. 1406. & seq. quos citat & sequitur Pith. n. 42. Item sicut Pagani, Judæi, Saraceni, aliquæ infideles non baptizati spoliante catholicos naufragos, non incurvant dictam excommunicationem, quia illius incapaces, ita nec fideles piratae, qui spoliante infideles, incurrunt illam. Suar. l.c. n. 21. Pith. b. t. num. 39. quia verisimile non est Concilium Lateranense, ex quo delumptum illud c. excommunicationi, uti & Pontificem in Bulla Cænæ ferentes hanc excommunicationem intendisse, protegere infidelium bona contra Christianorum & orthodoxæ fidei hostes, comminatione excommunicationis ferenda, vel latæ. Bonacini, de censur. in particul. d. 1. q. 5. p. 3. Castrop. tr. 29. d. 3. p. 5. n. 8. Wiestn. b. t. n. 29. Reiffenst. n. 23. His tamen non obstante, quod Christiani spoliante navigantes, aut naufragium passos infideles,

(intellige non tantum in mari, sed & in aliis flavijs, cum dictum Concilium loquatur indifferenter de navigio vectis, & naufragium passis, Pith. Reiffenst. l.c. quamvis Bullæ Cænæ etiam in specie loquatur de infestantibus mare pertinens ad ditio-nem Romanæ Ecclesiæ. Pith. n. 4. Reiffenst. l.c.) malè agant, & ad restitutionem teneantur. Reiffenst. l.c. nisi bellum cum iis gerant, aut sint habitualiter hostes. Ac denique excommunicatio-nem non incurvant, qui subrepacionem talium bonorum consilio, favore promovent, aut ratam habent, aut accipientes illa recipiunt; cum enim illorum non fiat mentio in Bulla Cænæ, aut cit. c. 3. ad illos extendenda non est hæc poena excommunicationis; Secus est de iis, qui proximè & physicè tales surreptores illorum bonorum adjuvant & co-operantur, ablataque recipiunt participando de iis; taliter enim consulentes & auxiliantes illorum sup-riuentium ea bona, etiæ non exprimantur, gene-raliter tamè & tacitè comprehenduntur. Pith. n. 41. in fine juncto. n. 42. in fine. Suar. l.c. n. 32. Wiestn. b. t. n. 30.

## C A P U T II.

### De Incendiariis & Violatoribus Ecclesiarum.

Quæst. 317. Quinam propriè dicantur,  
& sint incendiarii?

**R**esp. Illi, qui datâ operâ, sive scientes & prudentes, apposito igne urbem, domum, prædium, aliudve ædificium, aliâve bona aliena, ut segetes, acervos frugum, fæni lignorum, sylvam dolo malo ex odio, vindicta vel alicujus commodi studio per se, aut per alios ascendunt, quicquid ad hoc mandatum, auxilium vel consilium scienter præstant. Arg. Can. pessimam. 23. q. 8. L. qui ades de incend. & ruina. c. 6. de injur. Proinde tales poenæ ordinatio incendiariorum non subjacent, qui casu tantum vel ex imprudentia, aut negligencia, etiæ cum culpa aliqua etiam lata, vel levâ aut levissima incendiij causa sunt. L. penult. ff. de incend. Host. in sum. b. t. n. 1. Sylv. v. incendiarius. n. 1. Pith. b. t. n. 47. Reiffenst. n. 26. sed neque in foro conscientiæ obligationem reparationis taliter causati damni contrahunt; cum in hoc foro interno ante Judicis sententiam obligatio damni supponat culpam theologicam graviter peccaminosam, ut Sylv. v. culpa. n. 6. Mol. cit. tr. 2. d. 698. num. 6. Sic quoque idem, seu non incurrente eam obligationem, qui casu aut incuria causa est incendiij, nullâ factâ distinctione inter forum internum & externum, astir Wiestn. b. t. n. 32. citatis L. fortuito. L. qui ades. ff. de incend. Gail. Lib. 2. observ. 21. n. 1. Farin. pr. crim. q. 110. à n. 3. quamvis n. 33. subjugat Wiestn. in foro externo ad interesse seu reparatio-nem damporum teneri cum, cuius culpâ accidit.

Quæst. 318. Qui poenâ afficiendus incendiarius?

1. **R**esp. Primo: Ob quâcunque culpâ, excepto tam dolo, & datâ operâ causârum incendiij, non incurrit poena mortis, seu ordinaria incendiariorum; siquidem dolo in nullis delictis æquiparatur quod ad poenam ulla culpa quantumcunque lata, juxta L. in Leg. Cornelii, ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. juncta Gl. v. lata culpa. Clat. §.

fin. q. 84. in pr. Farin. l.c. n. 10. unde cum incen-dio causato sine dolo, seu sine data opera nulla certa poena à lege statuta, arbitrio Judicis ob culpam latam vel levem statui ea potest, nimis levâ re-prehensio, mulcta pecuniaria, vel corporis afflic-tiva, v.g. incarceratio, relegatio, fustigatio, aliâve similibus, citra tamen mortem aut mutilationem pro locorum varietate, culpâ, incendiij, & personarum qualitate. Farin. l.c. Carpz. præc. crim. q. 39. à n. 33. Wiestn. b. t. n. 34.

2. Resp. Secundò: De jure civili, qui datâ operâ incendium excitavit, poenâ mortis afficiendus, & quidem, qui illud in civitate excitavit, objiciendus bestiis, si in humiliore existat, seu sit humili conditionis, & si in aliquo gradu sit, puniendus capite, vel ip. Insulam deportandus. L. ult. de incend. ubi Gl. fin. ut igne concremeretur. Pith. b. t. n. 48. si verò in villa vel castris ades (quo nomine veniunt omnes species ædificii. L. qui ades. ff. de incen-dio.) incenderit sciens & prudens, sitque humili conditionis, igne quoque necari jubetur. Si tamen casam vel villam extra oppidum sitam combusserit, mitius puniatur, ut etiam, si ades in civitate sua negligenter aut culpâ latâ conflagrari fecerit, damnum illatum etiam vicinis resarcire jubetur, datâ in duplum actione, &c. si id non possit, luendum ei in corpore. L. capitulum. §. incendiarius. ff. de paenâ. juncta Gl. v. jaclura. L. penult. ff. de incend. juncta Gl. v. venia. Pith. cit. n. 48. in fine. citato Wefenb. in paratit. ff. de incend. n. 6.

3. Resp. Tertiò: Jure ecclesiastico rerum pro-fanarum incendiarii Laici, uti & præbentes iis scien-ter consilium, auxilium aut mandatum (præter pœnitentiam trium annorum, ut Reiffenst. b. t. n. 32. citans. c. 6. de injur.) sunt excommunicandi. Can. si quis. & c. seq. 23. q. 8. & postquam de-nunciati non absolvuntur, nisi à solo Papa. Sylv. v. incendiarius. n. 2. Pith. num. 49. qui tamen cum Sylv. & Host. in Sum. b. t. num. 9. addit, omnes incendiarii ædificiorum non facrorum haberi pro ex-communicatis ipso jure, etiæ non sint denunciati, te-nentur insuper tam incendentes scienter & volun-tariè

tariè seu dolo, quām ex lata culpa sine dolo ad omne damnum resarcendum. c. *ingressus*. & seq. de *injur*. L. *penult*. ff. *de incend*, ut & ad compensationem rerum incendi causā perditarum. Arg. cit. c. *penult*. quin & dum incendium ortum ex culpa levi vel levissima, si tenebantur ex huiusmodi culpis. *Sylv*. n. 3. *Pirh*. l. c. *vers*. *praterea*. Multoq[ue] magis ipso jure & facto excommunicati sunt iuste canonico incendiarii Laici omnes ex dolo Ecclesiasticorum, & locorum religiolorum, seu piorum & Cenitiorum, locorumque, ut statuitur c. *defini*o. 17. q. 4. iis intra 30 passus contiguorum: & ita statuitur hæc excommunicatio. c. *omnes Ecclesias*, cit. *canf*. 17. q. 4. *can. canonica*. 11. q. 3. & si nominatum denunciati, à solo Papa absolviti possunt, iuxta c. *tuanos de sent. excom*. ante illam denunciationem etiam ab Episcopo absolvendi. Host. l.c. *Sylv*. l. c. q. 1. n. 2. *Pirh*. l. c. *Reiffenst*. b. t. n. 3. quin & in extrema necessitate à quolibet simplice Presbytero, cùm in periculo mortis nulla sit causa referatio. *Trid. sess*. 14. c. *de Sacram. pen*. Quid si verò non absoluti deceidunt, sepulturā intuper Christianā & Ecclesiastīcā privantur. *Can. pessimam. can. 23. q. 8*. Secus, si peregitentes à centura absoluti deceissent, in quo tamē casu eorum hæredes compellendi ad reparationem damnorum ex incendio secutorum, iuxta expressum texum. c. *ex litteris*. b. t. quia hæredes tenentur ex delicto defuncti, sive pœnitens, sive impænitens obierit, cùm omnes obligationes fatemi non merè personales, sed rei persecutoris incumbant hæredibus. Ex eo autem, quid in cit. c. *ex litteris dicatur*: ut sic à peccato valeat liberari: non sequitur, quid liberatio defuncti incendiarii post hanc vitam dependeat à reparatione damnorum, facta per ejus hæredes, cùm rō valeat in singulari expressum referatur ad defunctum, lectio non valeret, quia per hoc non liberatur ille à pœnis purgatoriis, neque à pœnis inferni, si ipse culpabiliter omisit restituere, aut etiam mandare restitutionem hæredibus, si verò dirigatur ad hæredes, & legatur in plurali *valeant*, ut ipsi satisfaciendo obligationi sua restituendi liberentur à peccato suo, valebit lectio.

4. *Resp. Quartū*: Cūm Clericis incendiariis nulla pena statuta reperiatur jure canonico, cō, quid fortè Canonum conditores non sint arbitrati, aliquem Clericorum tantum scelus patraturum sine omni sua voluptate & utilitate, & cum magna altorum iactura, eorum pœna Judicis ecclesiastici arbitrio determinanda relinquitur juxta dolis, loci, damnorumque qualitatem & quantitatem. *Diaz. præt. crim. canon. c. 109. Pirh. n. 50.*

*Quæst. 319. Si oriatur in edibus aliqui jus incendium, de cuius origine & autoritate non constat, cuiusculpa excitatum præsumatur, & cui incombat reparatio damni?*

**R** Esp. *Etsi esse excitatum dolo non præsumatur*, quia is nunquam præsumitur. L. *merito. ff. pro socio*. sed perpicuis indicis probandus. L. *dolum. c. de dolo malo*. culpa tamē potius inhabitantium, quām casu exortum recte præsumitur; quia in dubio recte præsumitur, quod frequentius fit, qualiter ædium incendia plerunque aliquā culpa seu negligentia levi vel levissimā inhabitantium contingunt. L. *nam salutem. ff. de off. preficit. vigil*. & quidem hæc præsumptio est contra omnes R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. V.*

inhabitantes, quando nihil de uno certo constat. *Farin. pr. crim. q. 110. n. 93.* non tamen sufficit ad condemnandum omnes, vel unum certum in particulari, v. g. patremfamilias, sed omnes absolvit debent, si post inquisitionem, qua utique fieri debet, contra aliquem in specie culpa præsumi non potest. *Farin. l. c. Alex. cons. 50. n. 9. Gail. præt. observ. L. 2. observ. I. num. 3.* cūm incendium non probatā certi hominis culpā inter casus fortuitos numeretur. *Gail. l. c. Arg. L. incendium. c. si certum peratur.* Sed neque patremfamilias ad resarcendum damnum domesticorum culpā causatum tenetur, nisi de culpa unius certi domestici constet, quin & nequidem tenetur, si dictus inquinilus non sit servus illius, in officio suo delinquens, & delinquendo sit causa aliqua incendi, multoq[ue] minus, si ille sit hospes & advena. *Wiesn. b. t. n. 37.* citans L. *lucet. & fin. ff. nauta. camp. stab.* sed neque, ut idem cum Reiffenst. num. 40. citantes pro hoc Farin. l. c. n. 115. & *Masc. concl. 894. n. 19.* adhuc tenebitur culpā servi, si is pro fideli & diligente alias habitus & inventus fuit, ne alias patremfamilias, dum ædes combustæ sunt propriæ illius cūtra omnem lumen culpam, etiam levissimam, ex culpa aliena maximum passus detrimentum ex combustionē suarum ædium afficiatur insuper alio, dum nimis com-pellitur, reparare quoque damnum illatum vicino.

*Quæst. 320. Quænam hic dicantur proprie & strictè violatores Ecclesiarum?*

**R** Esp. Distinguendo illos ab incendiariis, tales dicuntur & sunt, qui Ecclesias, aliisque loca sacra aut religiosa violenter effringunt & spoliant, ita, ut ad constitendum talem violatorem requirantur hæc duo simul, nimirum violentia effractione & spoliatio, quales proinde non erunt, qui locum sacram effringunt, nihil tamē ex eo auferunt, neque etiam, qui spoliant & furantur ab Ecclesia, illam tamē non effringunt.

*Quæst. 321. Quænam sunt pœnae violatorum Ecclesiarum?*

1. **R** Esp. *Primiō: Jure civili antiquiore, tanquam gravissimi Sacilegii rei pro qualitate delicti, circumstantiarumque varietate puniebantur vel deportatione in insulam, vel exilio perpetuo, vel damnatione ad bestias aut metallis, vel plectebantur capite, aut suspensione vel vivi exurbantur, per L. *Sacilegii. L. hac Lege. ff. ad Leg. Jul. peculat.* Hodierno autem jure per Ordinationem Carolinam a. 72. & 73. pœna sunt determinatae, ita ut, qui effracta Ecclesiæ vas seu hierothecam cum sacra hostia aufert, vivus comburatur; qui vas aliud aureum vel argenteum cum vel sine reliquiis, calicem vel patenam abstulerit, vel *Templum, Sacrum, Sacrarium, Gazophylacium*, seu caplam elemosynariam animo furandi effregerit, aut dolos instrumentis aperuerit, pœna capitali aliave corporali mitigata vel exasperata pro diversitate circumstantiarum supplicio afficiatur; qui verò res sacras minoris estimationis, v. g. candelabrum, mappam altaris, aut etiam res privatas ibi depositas interdiu absque effractione inde abstulerit, mitigata pœna sicut furti privati reus plecti jubetur, per dictam Ordinationem Carol. a. 174. *Wiesn. b. t. n. 40.**

2. *Resp. Secundū: Jure canonico excommunicationem incurunt. c. canonica. 11. q. 3. c. omnes, & c. quisquis. 17. q. 4. ac precipue c. con-questi.*